

commune nomen. Exempla in Scripturâ sacrâ habemus quàmplurima. Duæ fuere matres Mariæ nomine, quæ duos habuere filios ejusdem nominis, quorum alter Jacobus Alphæi, alter Zebedæi filius vocabatur. Duo item fuere Salathies, qui duos item Zorobabeles genuerunt.

VERS. 12. — ET ABSTULIT EFFEMINATOS DE TERRA, PURGAVITQUE UNIVERSAS SORDES IDOLORUM, QUÆ FECERUNT PATRES EJUS (1) In patribus Salomonem, Roboamum, et Abiam intellige, qui à Salomonis tempore jam infatuati in omne se turpitudinis genus effuderunt. Qui fuerint effeminati, paulò ante diximus. Sordes, quæ terram Israëlitem infecerunt, aut fuerunt à libidine ubique venali, aut ab idolorum cultu nefario: utraque enim dicuntur contaminasse terram cap. 14, v. 22 et 23: hæc autem omnia, cum primùm potuit, sustulit Asa, fecitque ut neque religionis impiæ, neque libidinis nefariæ ulla manerent in civitate vestigia.

VERS. 13. — INSUPER ET MATREM SUAM MAACHAM AMOVIT, NE ESSET PRINCEPS IN SACRIS PRIAPI (2).

(1) On ne sort point de surprise, dit Voltaire, quand on voit des priapes adorés par la maison de David, et par les enfants de Jacob; y a-t-il une plus forte preuve que la religion judaïque ne fut jamais fixée, jusqu'au temps d'Esdras? Dans tous les temps et en tous lieux il s'est trouvé des apostats de la religion que professaient leurs pères et leurs frères; s'ensuit-il de là que dans aucun temps et dans aucun pays il n'y a jamais eu de religion fixe et déterminée?

Quant aux jeunes Sodomites chassés par le roi Abia et par le roi Aza, il est étonnant qu'il y eût encore de ces gens-là, après le terrible exemple de Sodome et de Gomorre. Il n'y a rien là de plus étonnant que de voir tant de voleurs, de malfaiteurs, d'assassins, malgré les exemples sévères qu'on en fait continuellement. (Duclot.)

(2) Vertunt alii: In sacris Panos, qui sylvestre erat numen, terrorem injiciens, unde nomen, *terror panicus*. Persuasum habuisse videtur Seldenus, infames illos ritus *Phalli* et *Libyphalli* nomen accepisse ex *Miphlezeth*. Illud certe constat, nomen *Phalli* derivari ex *Phalax*, radice τὸν *Miphlezeth*. Cum autem Astarte vel Asera, quæ in turpibus lucis colebatur, et cui pariter hoc, quidquid esset, *Miphlezeth* consecratum erat, Adonidi nupta esset, planè credible est, ritus hosce turpes illud habuisse turpissimum, quod veluti in pompam deferrentur obscœna illa, quæ in festis Bacchi delata fuisse ab Ægyptiis, narrat Herodotus.

Nec prætereundum hic ducimus, Septuaginta et S. Hieronymum non semper sibi constare in versione Hebræi *Miphlezeth*, neque hic neque in Paralipomenis. Porro in Hebræo legimus, *Asa amovisse matrem suam ab herâ* (à dignitate reginæ); quippe quæ fecerat *Miphlezeth* luco (vel Asera). Et succidit, addit Scriptura, *Mi-*

Hanc Maacham ex genere puto natam esse, gentilico. Sicut etiam fuit Maacha, ex quo David suscepit Absalomem. Hæc autem Maacha filia fuit Tholmai, regis Gessur, in quâ regione videtur illud nomen esse familiare. Hæc igitur Maacha juxta morem patrium idolorum sacris non solum interfuit, sicut aliæ mulieres è turbâ, sed etiam præfuit, tanquam illorum sacrorum princeps et antistes. Ubi vulgatus in sacris *Priapi*, Hebræus tantum habet, *ne domina esset, seu princeps*, neque quicquam aliud addit. Fortassè tempore Hieronymi aliquid erat aliud, quod ad inverecunda *Priapi* sacra pertineret. Veram, et magis expressam hujus loci sententiam habemus lib. 2 Paral. cap. 15, v. 16, ubi eadem omninò verba sunt in Hebræo textu: *Sed et Maacham matrem Asa regis ex Augusto deposuit imperio, eò quòd fecisset in luco simulacrum Priapi*. Neque dubium est hanc feminam ex Augusto loco fuisse dejectam propter idoli fabricam, et illius sacris præfuisse, quorum ipsa fuisset auctrix, ut

phlezeth ejus, et combussit ad torrentem Cedron. Septuaginta: *Amovit matrem suam, ne esset hera, quia fecerat conventum in luco suo, et excidit Asa spehuncas, vel cavos recessus ejus*. Et in 2 Par. 15, 16: *Matrem suam removit, ut non esset ministra Astarte, et concidit idolum*. Una igitur eademque vox redditur *conventus* vel *cœtus*, seu turpius etiam aliquid, *specus* et *idolum*. Hinc jure collige, vocis hujus significationem satis exploratam Græcis interpretibus videtur. (Calmet.)

Aza dicitur l'autorité à sa mère Maacha, etc. Dieu, qui semblaît presque avoir abandonné son peuple, à cause de son impiété, ne laisse pas de susciter, selon l'expression de l'Écriture, *une lampe à David*, son serviteur, c'est-à-dire, un héritier de sa piété aussi bien que de sa couronne, en la personne d'Aza, petit-fils de Roboam, qui fit, selon que l'assure le Saint-Esprit, *ce qui étoit droit et juste aux yeux du Seigneur, comme David, son père*. On ne peut surtout louer assez, dit un ancien Père, la sainte générosité et le zèle tout divin qui lui ayant fait préférer ce qu'il devoit au Seigneur à ce qu'il semblaît que la nature et le respect pour sa mère exigeât de lui, le porta à la dépouiller de l'autorité dont elle abusoit pour faire régner l'idolâtrie dans ses états. Il ne craignit point de la choquer en brisant et en brûlant l'idole infâme qu'elle adoroit, parce qu'il savoit qu'il ne pouvoit faire un plus agréable sacrifice à Dieu, ni rendre même à cette princesse un plus grand service, que de mettre en poudre une statue dont le démon se servoit pour la tromper, et que c'est dans ces rencontres où l'on doit, comme les saints Pères nous l'ont depuis enseigné, fouler aux pieds toute la tendresse naturelle qui s'oppose à ce que l'on doit à son Créateur. *Per calcatum perge patrem*. (Sacy.)

hoc loco habet vulgata translatio Hebræicè pro *Priapi* verbum *miphleseth*, quæ idolum significat, quod observantiam erga se, atque terrorem excitat, et ideò fortassè Hieronymus *Priapum* reddidit, quia ille est custos hortorum, et aviculas terret, et latrones specie quâdam flagitiosâ arcere existimatur. Neque leve Hieronymo argumentum fuit, quòd statim simulacrum illud fuisse dicitur turpissimum; quod de nullo magis, quàm de *Priapo* affirmari potest. Sanè *Priapum* appellari formidinem dixit Horatius lib. 1, Satyr. 8, apud quem sic *Priapus*: *Deus inde ego furum, aviumque maxima formido*. Huic igitur idolo, quodecumque sit, lucum dicitur consecrâsse Maacha, cui ne præesset, sicut antea, prohibuit filius.

SUBVERTITQUE SPECUM EJUS, ET CONFREGIT SIMULACRUM TURPISIMUM, ET COMBUSSIT IN TORRENTE CEDRON. Impura quædam gentilium sacra in locis fiebant subterraneis, aut certè sic aditis et obscuris, ut in illis quodvis exerceri posset impurum, quæ non tam sacraria debuissent, quàm libidinis appellari diverticula. Talis hic videtur fuisse specus, in quo digna *Priapo* sacra peragi solita non est improbabile. De sacris *Priapi* vide Abulens. quæst. 11. Unde intelligi potest quàm fuerit pudica *Abiæ* uxor, eademque mater *Asa*, cum præesse voluerit impurissimis sacris, et illud opus, et suâ auctoritate, et suæ impurissimæ vitæ exemplo fovere; quàmque ab omni puritate et pietate alienum fuerit *Abias*, qui ab uxore, eademque reginâ talia institui, atque administrari permisit. *Torrentes Cedron* adjunctus erat *Hierosolymæ*, in quo contractum atque redactum in cineres fuit simulacrum illud inverecundum *Priapi*; quod sanè ligneum fuit, et fortassè ficulneum, quale fuit illud de quo Horatius supra. Quod item fecit *Josias* libro quarto Regum capite vigesimo tertio, versiculo sexto, quia has hujusmodi immunditias combussisse dicitur in convalle *Cedron*. Ex quo colligere mihi videor simulacrum esse in urbe regiâ, quæ cum sit totius regni cor et caput, argumento est regnum totum, quod quasi corpus à corde et capite sensum habet et vitam, esse corruptum. Neque fortassè erraret qui in templo, quod sibi Dominus proprium elegit domicilium, collocatam *Priapi* turpissimam imaginem crederet, sicut alias variis temporibus locatas esse legimus. Vide quæ hæc de re in nostris Commentariis super *Ezechielem* adduximus. Sanè lib. 4 Regum cap. 23, fuisse traduntur in templo deorum simulacra, effeminatorum ædicu-

læ, et quæ in excelsis et lucis destinari solent religioni gentiliæ.

VERS. 14. — EXCELSA AUTEM NON ABSTULIT. *Excelsa* dicuntur altaria, seu delubra in præaltis montibus excitata, quæ vanis idolorum sacris serviebant, et quæ religionis ergo statis temporibus habuerunt, qui gentilibus semoribus imbuerant. Hoc verò peccatum *Asa* cum multis alijs regibus commune fuit, qui cum alia sustulissent sive lustra religionis impiæ, sive lenocinia, ab excelsis tamen manus aliqui religionis vindices abstinerunt, aut quia ausi non sunt magnæ populi in eam religionem intenti multitudinè repugnare, aut quia quod fiebat in montibus occultum, non existimabatur grandem populo allaturum perniciem. Sed videtur dicendum cum *Abulensi* quæst. 10, et quæst. 13 et 14, abstulisse *Asa* excelsa omnia, succidisse lucos, et evertisse religionis gentiliæ impuras sacraria, ut habemus libro 2 Paralipomenon cap. 14, versiculo secundo: *Subvertit altaria peregrinè cultûs, et excelsa, et confregit statuas, lucosque succidit*. Reliquit tamen fana quæ ad montem *Olivarum* fabricaverat *Salomon*, quæ multis post annis diruit *Josias* lib. 4 Reg. c. 23.

COR ASA PERFECTUM ERAT CUM DOMINO OMNIBUS DIEBUS SUIS. Non satis cum his videtur consentire, quod de *Asa* traditur libro secundo Paralipomenon, capite 16, versiculo decimo, ubi de eo ea narrantur, quæ nemo posset à peccato vindicare, ut quòd prophetam, qui à Domino regi adversa nuntiaverat, in nervum compegerit, quòd de populo, dum suo obsequitur furori, multos occiderit. Huic ergo objectioni respondeo peccasse quidem *Asa*, quod negabit nemo; non tamen defecisse à Deo, et ad idola colenda defluxisse, et quoad hanc partem videri cum Deo ambulasse perfectè; ita *Abulensis*, quæst. 18. Quo modo *Eccles. 49*, versiculo quinto, præter *Davidem*, *Ezechiam* et *Josiam* omnes dicuntur peccavisse, quia videlicet non coluerunt gentium simulacra: nam *Davidem* peccasse, idque non leviter sacræ produnt historiæ. In horum autem numerum non venit *Asa*, quia excelsa non abstulit, quod fecerunt alii tres, sed reliquit ubi homines sacrificiis nefariam operam darent in fanis, ut diximus, à *Salomone* constructis; illa verò non diruit *Ezechias*, ut putat *Abulensis* quæst. 13, quia suo tempore illa fana non erant popularis scandala, quia tunc in illis fiebat nihil in idolorum cultum, sicut cum regnaret *Asa*, et longo post tempore *Josias*, quæ eam ob causam subvertenda curavit.

VERS. 15. — ET INTULIT EA QUÆ SANCTIFICAVÉRAT PATER SUUS, ET VOVERAT IN DOMUM DOMINI. Incertum est quænam fuerint, quæ prius sanctificaverat, seu voverat Abias, in cultum videlicet, et sumptus sacrificiorum, seu templi. Abulensis quæst. 17 conjectat eo tempore vovisse, id est, sanctificasse, et destinasse templo ea quæ filius postea religiose præstitit, cum dimicandum fuit cum Jeroboamo eo prælio, in quo Israelis vires attritæ sunt, et fracti insolentes antea Jeroboami spiritus. Et quando hic agendum conjecturis, Abulensis conjectura mihi non displicet. Quæ porrò fuerint hæc vota, habemus 2 Paralip. cap. 15, v. 18, ubi sic de Asa: *Eaque quæ voverat pater suus, intulit in domum Domini, argentum, et aurum, vasorumque diversam suppellectilem.*

VERS. 16. — BELLUM AUTEM ERAT INTER ASA ET BAASA, REGEM ISRAEL, CUNCTIS DIEBUS EORUM. Ex quo ab Abiâ, factâ illâ ingenti Israelis strage, attenuatæ sunt inimicorum vires, cessatum est à bellis multis annis, neque quidquam intentatum est ab Israele contra Asam ad annum usque 36 imperii illius, ut habes libro secundo Paralipomenon capite 15, versiculo 19: *Bellum verò non fuit usque ad trigesimum quintum annum regni Asa*; et statim capite 36, in principio: *Anno autem trigesimo sexto regni ejus, ascendit Baasa, rex Israel, in Judam.* Ex hoc autem tempore non ausi sunt Israelitæ quidquam contra duas tribus Juda adversum moliri: at ausi sunt Æthiopes anno Asa decimo ex libro 2 Paralipomenon capite 14, quos debellavit exitu felicissimo, Deo pro ipso dimicante, de quâ victoriâ planè prodigiosa, cum ad illum locum venerit commentatio, fusiùs agemus.

Sed hærent hic interpretes, dum non vident quomodò Baasa rex Israel cum Asa rege Juda congredi potuerit, anno illius trigesimo sexto, cum multo ante illud tempus interierit. Quod ex eo liquet, nam Baasa regnum cepit Israel anno tertio Asa, neque supra annos 24 regnum produxit, ut constat ex hoc ipso capite v. 33; quare decessit anno Asa 27, nempe novem annis ante annum in quo dicitur longum cum Asa bellum suscepisse. Multa hic fingunt et meditantur interpretes. Lyra in lib. 2 Paralip. cap. 16, trigesimum sextum annum, in quo bellum Baasa tentasse dicitur Asam, non numerat à regno Juda primum inito, sed à victoriâ, quam de Zara rege Æthiopum consecutus est, cujus ea posset ostendi ratio, quia cum tunc gloriam apud omnes obtinisset eximiam, tunc se primum regnare putavit,

quando visus est dignus imperio. Hanc opinionem Lyra optimè confutat: Abulensis in illud capitis Paralip. 16, quæst. 3, et Dionysius ibidem. Alii cum ab hæc difficultate exitum non inveniunt, ad illud sese perfugium conferunt, quod extremum habet desperatio. Dicunt enim cap. 4, v. 1, lib. 2 Paralip., corruptum esse textum, et pro trigesimo sexto, legendum esse vigesimum sextum annum. Ita putant Cajetanus hic, et Dionysius; Joannes Lucidus lib. 2 de Emendatione temporum cap. 9; Canus libro 11 Locorum theologicorum c. 3, ad argumentum duodecimum; et eodem modo extremam partem capitis 14 dicunt esse corruptam, ubi dicitur bellum non fuisse, scilicet à regibus illatum Israelis usque ad 35 annum regis Asa, ubi legendum esse dicunt annum 25.

Antequàm meam sententiam aperio, quod sit meum de hæc posteriori iudicium, paucis ostendam, in primis illam expediendî nodi rationem, quæ ad sacrorum codicum corruptionem confugit, non esse ubique admodum piam, maxime cum de vulgatâ translatione factâ ab Ecclesiâ fuerit tam severum examen. Quare optimè Emmanuel Sâ, cum hujus solutionis meminisset, addidit: *Ego id non ausim accere.* Secundò dico, hæc suâ mutatione, aut, ut ipsi dicunt, restitutione loci corrupti nihil hos auctores efficere: neque enim ad hunc vigesimum quintum annum Asa pervenire potuit Baasa, ita ut longum cum Asa bellum gerere potuerit: quod videtur sacer textus ostendere, dum ait versiculo 32: *Fuitque bellum inter Asa et Baasa, regem Israel, cunctis diebus eorum.* Porrò mortuum fuisse Baasa anno vigesimo sexto Asa, idque, ut est verisimile, in initio, satis constat, ut habet statim capite 15, versiculo octavo: *Anno vigesimo sexto Asæ, regis Juda, regnavit Ela, filius Baasa, super Israel in Thersa duobus annis.* Ex quo aliud mihi argumentum sumo, ut probem in principio anni vigesimi sexti mortuum esse Baasa; nam filius illius Ela, qui regnasse dicitur, utique patre mortuo, duobus annis ibidem, statim numero decimo occisus esse traditur anno 27 Asa. Ex quo fit eodem anno inchoatum esse, atque finitum bellum inter Asa et Baasa, contra quàm modus loquendi Scripturæ sacræ significat.

Mihi placet quod visum est primum doctoribus Hebræorum in Seder-Olam, trigesimum sextum annum non esse numerandum ab eo tempore, in quo regnum inivit Asa, sed ab eo, in quo decessit Salomon, id est, in quo divi-

sum fuit regnum, et duo ex uno constituta regna, in hunc sensum: In anno trigesimo sexto, ex quo exordium cepit regnum Juda, quod idem est atque regnum Asa, quia tunc illud Asa moderabatur. Hæc cogitatio omnia vitat incommoda, quæ alii plus sat's curiosè deprehendisse se putant, neque aliquid est à litterâ distortum: illud enim: *Anno autem trigesimo sexto regni ejus (nempe Asa) ascendit Baasa*, hunc habet sensum proclivem et facilem: Anno trigesimo sexto regni Juda, cujus eo tempore Asa gubernaculum tenebat. Ita tenent, ut dixi, Hebræi in Seder-Olam capite 16, Mariana hic; Tornielius ad annum mundi 3094. Juxta quam numerandi rationem hoc bellum incœpit anno 16, ex quo primum regnum suscepit Asa. Nam ab exordio regni Judæ, id est, à primo anno Roboam, intercessere anni septemdecim; tres Abiæ, si ex regno Asa sexdecim sumas, numerum trigesimum sextum implebis. A decimo sexto anno usque ad vigesimum sextum Asa, in quo Baasa ex regno et vitâ discessit, satis spatii fuit, ut verè, et juxta hominum consuetudinem, dici possit bellum fuisse inter Asa et Baasa cunctis diebus eorum.

VERS. 17. — ET EDIFICAVIT RAMAH, UT NON POSSET QUISPIAM EGREDI, VEL INGRESI. Ramah in finibus erat Benjamin, ut constat Josue 18, et non procul à Jerusalem, quæ sita est in ipso duarum tribuum confinio, ita ut vel sit communis utrique tribui, sicut Jerusalem partem occupat Juda, partem Benjamin, aut certè Ephraimitarum terminos proximè contingit. Hoc posterius minùs mihi difficile est, videtur enim esse in montium angustiis hæc civitas, quas Latini fauces, Græci pylas vocant, quæ hominibus ad ulteriora aditus aperiunt, aut è superiori loco imminere angustiis, ut facile ab illis faucibus exclusum viatorem aditu prohibeat. Multæ hujusmodi fauces inveniuntur, quæ maximo regnis existimantur esse munimento, ut in Alpibus, Pyrenæis, Amanno, Apennino. Baasa igitur urbem Ramah, si ad ipsius ditionem pertinebat, munivit voluitque esse Israelitici regni claustrum, et hoc constat ex libro secundo Paralipomenon capite 16, versiculo primo; et arcem fortassè construxit, quæ immineret viarum angustiis, ne ullus ex decem tribubus transfugeret ad Judam, aut ex Juda ad Israelis regnum impunitus irrumperet.

VERS. 18. — TOLLENS ITAQUE ASA OMNE ARGENTUM, ET AURUM. Ante hoc tempus jam confecerat Asa exitu felici bellum cum Zara, rege Æthiopum: nunc verò cum videret novis re-

bus studere Baasa, et ex novâ substructione magnum aliquid conjectaret adversarium moliri, externum voluit auxilium accersire. Quare sumpsit quidquid argenti et auri reliquum erat, tam in domo regiâ, quàm in domo Domini; illudque per legatos transmisit Damascum, ubi tunc agebat rex Syriæ Benadad, quo illum conciliaret sibi, et ab Israelis regis studiis averteret. (1)

VERS. 19. — FOEDUS EST INTER ME ET TE, ET INTER PATREM MEUM ET PATREM TUUM. Rex Syriæ Benadad cum duobus sibi finitimis regibus foedus inierat sociale, ut apertè constat ex hoc loco. Quare meritò timere poterat Asa, ne Benadad alterius regis faveret partibus, et hostem haberet prorsus insuperabilem. Atque ideò prævertit antagonistæ sui maturè consilium, et missis muneribus, quæ ad conciliandos, aut etiam expugnandos animos potentissima sunt, avertere studet ab adversarii partibus Syriæ regem, et associare suis, quod tandem obtinuit.

VERS. 20. — ACQUIESCENS BENADAD REGI ASA, MISIT PRINCIPES EXERCITUS SUI IN CIVITATES ISRAEL (2). Violato Benadad pacto, quod quondam cum rege Israelis inierat, ut ab ædificandâ Ramah, obtinendisque Judæ atque Israelis faucibus abduceret, finitimas provinciæ suæ partes bello tentavit, illas nempe, quæ ex decem tribubus

(1) MISIT AD BENADAD FILIUM TABREMON, FILII HEZION, REGEM SYRIÆ. Benadad nepos erat Razonis, regni Damascenorum conditoris. Razon appellatur hic *Hezion*. Septuaginta nuncupant *Azin*, vel *Azaelem*. Nomen Tabremon coalescit ex *Tab* vel *Tob*, bonus, et *Remon* vel *Remmon*, qui Deus est Damasci. Neque in Scripturâ novum est et insolitum, ut unius ejusdemque plura sint nomina. Interpretes quidam censent Benadadum nepotem fuisse Adadi Idumæi, cujus historiam legimus in capite 11, 14. Regnasse illum Damasci, sub nomine Aderi, Josephus affirmat. (Calmet.)

(2) ET PERCUSSE RUNT AHION, vel Ain. Urbs erat maxime septentrionalis. Ex primis fuit, quas cepit Theglathphalasar, cujus incolas captivos abduxit. An eadem est cum Enan, de quâ Ezechiel, quæque *terminus Damasci* appellatur?

DAN, urbs est celebris ad rivum Jordanis, de quâ sæpè in Scripturâ mentio.

ABELDOMUM MAACHA. Ulteriùs ad septentrionem Chanaanitidis excurrit. Urbs est eadem cum *Abela*, vel *Abela Domo Maacha*, quò perfugit Seba filius Bochri. Captæ à se urbis incolas omnes Theglathphalasar duxit captivos. In Paralipomenis appellatur *Abelmaim*, vel *Abel Aquarum*.

UNIVERSAM CENNEROTH. Loca mari Cenneroth vel Tiberiadis adjacentia. De Cenneroth fusiùs actum est in Josue. Ex his urbibus quasdam retinuit Benadad, quin et plateas, seu vicus quosdam condidit in urbe Samarâ, etc.

(Calmet.)

ad aquilonarem plagam pertinerent, ex quibus occupavit non paucas ex terrâ Nephtholim. Quod ubi primum comperit Baasa, intermisit opus quod aggressus fuerat, ut hostiles copias, quas Syrus invexerat, à suis finibus averteret, et re factâ rediit in Thersa Israelitici regni primam sedem. (1)

VERS. 22. — REX AUTEM ASA NUNTIUM MISIT. Cum copias ex montium angustiis abduxisset Baasa, edixit Asa subjectis sibi tribubus, ut omnes quamprimum advolarent, ut dum per hostium discessum, et temporum opportunitatem liceret, illa disjicerent, quæ Baasa pro sui regni firmamento construxerat, quod ardenti populorum studio brevi perfectum est, et omnem materiam tam cæsam, quàm brutam ad Gabaa Benjamin, et Maspha transtulit, quas è redivivâ materiâ in eundem usum extruxit, et munivit, in quem Ramah proximè ædificare tentaverat Baasa.

VERS. 23. — RELIQUA AUTEM OMNIUM SERMONUM ASA. Multa hoc loco prætermittuntur, quæ in antiquos annales Regum Juda relata fuerant, quæ tamen hoc tempore non extant, sed multa habemus ex lib. 2 Paralip. cap. 14, ubi refertur bellum feliciter gestum cum Æthiopicum rege, et cap. 15, ubi se patriæ religionis studiosum ostendit; et c. 16, ubi aliqua illius errata commemorantur, quæ nos eo loco fusiùs exponemus. (1)

VERUMTAMEN TEMPORE SENECTUTIS SUÆ DOLUIT PEDES. Morbus iste lib. 2 Paralip. cap. 16, dicitur fuisse vehementissimus, qui tribus annis videtur regem alligasse lecto, nam trigésimo nono regni sui anno decubuit, et, ut paulò ante diximus, quadraginta unum regnavit annos. In eo autem graviter reprehenditur, quòd in eo, quo laboravit tamdiù, qui non aliud videtur esse quàm podagra, non tam quæsit Dominum, à quo sperari potuit et debuit corporis sanitas, quàm medicorum artem et industriam; sicut etiam, ut proximè vidimus, auxilium potius petiit à Benadad contra regem Baasa, quàm à Deo, propter quod ab Hanani propheta acerbissimam reprehensionem audivit.

VERS. 24. — ET DORMIVIT CUM PATRIBUS SUIS.

(1) VERS. 21. — ET REVERSUS EST IN THERSA. Hebræus: *Et mansit in Thersa*; intra regalem urbem suam sese clausit. Septuaginta eandem cum Vulgatâ lectionem tinentur: *Reversus est*. (Calmet.)

(2) UNIVERSÆ FORTITUDINES EIUS. Accipi potest Hebræus seu de viribus corporis, vel animi, vel regni, et copiis. De imperio et auctoritate intellexisse videntur Septuaginta. (Calmet.)

Cap. 16, lib. 2 Paralip. illius honesta tumultatio describitur, ubi conditus esse dicitur aromatibus et meretriciis unguentis, de quo postea latius, cum ad illum locum ventum fuerit. Interim vide quæ diximus in nostris Commentariis super Jeremiam, ad illud cap. 54, v. 5: *Secundum combustiones patrum suorum.*

VERS. 25. — NADAB VERÒ, FILIUS JEROBOAM, REGNAVIT SUPER ISRAEL ANNO SECUNDO ASA (1). Quia duo regna Israel et Juda vicina sunt, et ex eodem propagata semine, semperque aut amicitiae et societatis gratiâ, aut infensis animis, et hostilibus odiis, et castris congressa, ideò noster historicus utraque regna narratione consociat. Regnavit Asa, rex Juda, annos quadraginta unum. In hos verò inciderunt reges multi, qui imperium tenuerunt Israeliticum eodem tempore. Primus omnium fuit Jeroboamus, qui viginti ac duobus annis regnavit, et decessit anno primo, aut jam inchoato anno secundo Asa. Huic successit Nadab, qui anno secundo Asa in regnum successit loco parentis Jeroboami suffectus, qui non ampliùs biennio cum potestate fuit. Nam cum Gebbethon Philistinorum urbem obsideret, occisus est per insidias à Baasa, qui genus ducebat suum ex familiâ Issachar. Hic porro Baasa regnum obtinuit anno Asa tertio,

(1) *La seconde année d'Asa, roi de Juda, Nadab, fils de Jéroboam, commença à régner dans Israël. Il fit le mal devant le Seigneur, etc.* Tout le reste de ce chapitre est employé à rapporter la succession de plusieurs rois d'Israël, tous idolâtres et imitateurs de l'impie de Jéroboam, Saint Jérôme remarque sur ce sujet et sur tout ce qui est rapporté dans la suite de cette histoire des rois d'Israël et de Juda, qu'on ne doit pas simplement regarder la lettre qui nous représente une multitude de méchants princes, et très-peu de bons, puisque, comme il dit fort bien, si l'on s'arrête à la seule histoire, il ne paraît que de la simplicité dans les paroles; mais que si l'on cherche dans cette simplicité apparente le sens spirituel qui est caché sous la lettre, on y pourra remarquer le petit nombre de ceux dont l'Eglise est composée, et les guerres différentes que lui suscitent ses ennemis. Regum tertius et quartus liber regnum Juda et regnum describit Israel. Si historiam respicias, verba simplicia sunt; si in litteris sensum latentem inspicieris, Ecclesiam paucitas et hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur. L'idée seule que ce saint nous donne sur cette histoire peut servir à ceux qui s'appliquent à la méditation des Ecritures, pour les porter à ne passer pas légèrement ce qui regarde tous ces princes, mais à y chercher ce qui peut nourrir leur piété et les affermir dans l'unité de cette Eglise, dont le petit nombre ne doit point les affaiblir, non plus que la multitude de ses ennemis les étonner. (Sacy.)

produxitque ad annum illius 26, cum annos regnaret viginti quatuor. Eodem anno, quo decessit Baasa, successit ejus loco filius Ela duobus annis, ad annum videlicet Asa vigésimum septimum. Ex hoc tempore ad finem usque vitæ Asa fuerunt duo alii reges Israel Zambri, et Amri, et Achab, de quibus postea. Quare in regnum Asa super Judam sex incurserunt reges Israel, de quibus postea nobis pluribus necessariò agendum est.

VERS. 26. — ET FECIT QUOD MALUM EST IN CONSPPECTU DOMINI. Dum patris potius exemplar, quàm divinam legem intuetur Nadab, et ipse scleratus fuit, et quod sclerati solent reges, aliis de populo ad peccandum facultatem fecit, et aluit audaciam. Quare non diù vixit: nam Baasa, ut diximus, in obsidione Gebbethon illum per insidias occidit. (1)

VERS. 29. — CUMQUE REGNASSET, PERCUSSIT

(1) VERS. 27. — GEBBETHON, urbs Danitica, quam Philisthæi occupabant, non unam à regibus Israelis obsidionem sustinuit.

VERS. 28. — ANNO TERTIO ASA REGIS JUDA, REGNAVIT BAASA, anno mundi 3051. Adversus hanc

CAPUT XVI.

1. Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa, dicens:

2. Pro eo quòd exaltavi te de pulvere, et posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in viâ Jero-boam, et peccare fecisti populum meum Israel, ut me irritares in peccatis eorum,

3. Ecce ego demetam posteriora Baasa et posteriora domus ejus, et faciam domum tuam sicut domum Jero-boam filii Nabath.

4. Qui mortuus fuerit de Baasa in civitate, comedent eum canes, et qui mortuus fuerit ex eo in regione, comedent eum volucres cœli.

5. Reliqua autem sermonum Baasa, et quæcumque fecit et prælia ejus, nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Israel?

6. Dormivit ergo Baasa cum patribus suis, sepultusque est in Thersa. Et regnavit Ela filius ejus pro eo.

7. Cum autem in manu Jehu filii Hanani, prophetæ, verbum Domini factum esset contra Baasa et contra domum ejus, et contra omne malum quod fecerat coram Domino ad irritandum eum in ope-

OMNEM DOMUM JEROBOAM. Implevit Baasa quod Dominus per Ahiam Silonitem Jero-boamo et illius uxori minatus fuerat cap. 14, v. 10. Nempe clausum, et novissimum ex domo Jero-boami esse perituros, neque ulla ex tantâ familiâ futuras esse reliquias. Quæ reliqua sunt hujus capituli paulò à nobis ante explicata sunt: quomodò videlicet bellum gesserit Baasa contra Asa, illudque cœpisse anno Asa 36. Hic additur ad extremum Baasa eundem tenuisse vitæ modum, quem olim Jero-boam, præbuisseque populo, dum ipse à lege procul aberrat, peccandi licentiam et audaciam.

epocham aliquid objicitur; nimirum quòd in Paralipomenis legitur, Baasam manum admo-visse ædificandæ Ramæ anno trigésimo sexto Asæ. Cohærere id autem non potest cum iis quæ hic, v. 33, narrantur, Baasam scilicet nonnisi annis quatuor et viginti regnasse. Qui enim Baasa regno nonnisi quatuor et viginti annorum gesto, rerumque potius anno Asæ tertio, hæc moliri potuit in Asam anno regni ipsius sexto et trigésimo? Hanc objectionem solvimus supra, versu 17, docentes annum hunc sextum et trigésimum Asæ repetendum esse à schismate decem tribuum. (Calmet.)

CHAPITRE XVI.

1. Or, le Seigneur adressa la parole à Jéhu, fils d'Hanani, contre Baasa, disant:

2. Je vous ai élevé de la poussière, et je vous ai établi chef sur mon peuple d'Israël, et vous avez marché dans la voie de Jéro-boam, et vous avez fait pécher mon peuple d'Israël, pour m'irriter par leurs péchés:

3. C'est pourquoi je retrancherai de dessus la terre la postérité de Baasa et la postérité de sa maison, et je ferai éprouver à votre maison les malheurs de la maison de Jéro-boam, fils de Nabath.

4. Celui de la race de Baasa qui mourra dans la ville, sera mangé par les chiens, et celui qui mourra à la campagne, sera mangé par les oiseaux du ciel.

5. Le reste des actions de Baasa, et tout ce qu'il a fait, et ses combats, tout cela est écrit au livre des Annales des rois d'Israël.

6. Baasa s'endormit donc avec ses pères; il fut enseveli à Thersa, et Ela, son fils, régna en sa place.

7. Mais le prophète Jéhu, fils d'Hanani, ayant déclaré à Baasa ce que le Seigneur avait prononcé contre lui et contre sa maison à cause de tout le mal qu'il avait fait aux yeux du Seigneur pour l'irriter par les œuvres de ses mains, et que le Seigneur traiterait sa maison